

† Pl. Rev. P. Ludovicus Fras (1901-1953)

(Prov. Polonicae Sup. Provincialis)

Provincia Polonica nuper suum P. Provincialem amisit, qui, gravi morbo renum correptus, praeter vota et expectationem omnium, die 12 Aprilis a. 1953 in nostra domo Cracoviensi animam sua meritis plenam Conditori suo restituit.

Dolorem et luctum filiorum ingens multitudo civium participavit, ita ut lugubre eius funus triumpho simillimum evaserit; nam fere 300 sacerdotes et clerici saeculares et regulares, et millia millium fidelium feretrum eius pie comitati sunt, unde inferre licet eum sibi aliorum existimationem et amorem haud communi gradu conciliasse. Ipse Em.

Cardinalis Primas Poloniae, accepto nuntio mortis, per speciale telegramma affirmare non est veritus: « Dolor vester, Reverendi Patres, simul dolor meus est ». Similiter et alii Ecc.mi Episcopi Poloniae.

Revera P. Ludovicus Fras singulares dotes possidebat, et propterea creditur providentissimus Deus eum hisce turbulentis temporibus prae aliis rectorem Provinciae, quae tantis malis inde ab initio ultimi magni belli probata est, constituisse. In officio Provincialis fungendo vix tertium triennium inceperat; et hoc relative brevi temporis spatio mira quadam dexteritate, prudentia gubernativa et paterno amore, cum satisfactione omnium, commendatam sibi Provinciam ex ruinis et dispersione eripuit atque ad statum florentem, non obstantibus difficultatibus, in quibus versatur tota Polonia hoc tempore, feliciter adduxit, imaginem suae eximiae personalitatis in suis operibus et vita evidenter exprimens. Propterea eius nomen in benedictione semper apud nos erit!

Natus in Ujście Solne, dioec. Tarnoviensis, die 16 Augusti 1901, a matre pie educatus, in iuvenatum nostrum recipitur et studiis ibi gymnasialibus peractis in novitiatum mittitur, ubi die 2 Augusti a. 1919 vota religiosa nuncupat. Iam illo tempore iuventutis notae distinctivae eius characteris clare apparebant, ut testatur Pl. R. P. Szrant, tunc Rector Studentatus. Eminebat enim inter alios ingenio non communi, summa diligentia in studiis, amabilitate et serenitate animi et maturitate spirituali. Orationi deditus, saepe saepius tempore libero coram SS. Sacramento inveniri poterat, ita ut Superiores eum potius indolis contemplativae esse putarent. Hic cultus vitae interioris, orationis et meditationis tempore formationis eius in virum perfectum, fontem et terminum a quo futuri dynamismi et activitatis constituit, secundum axioma S. Thomae Aquinatis: « contemplata tradere aliis », et ita ordines eius ut Superioris et operationes non fuerunt fructus

imponderati impulsus vel puri naturalismi, sed orationis et maturae considerationis. Hic quaeri debet causa felicitis exitus multorum eius operum.

Ordinatus sacerdos die 18 Iulii a. 1926, post brevem periodum lectoratus in Iuvenatu, Cracoviam ad studia historiae profanae in Universitate status colenda a Superioribus mittitur. Quadriennio studiorum expleto, lauream cum honorabili mentione « maxima cum laude » adipiscitur, et thesis eius doctoralis: « Obrona Czeŝtochowy w roku 1655 » (Defensio Clarae Montis Censtochoviae a. 1655), sumptibus status publici iuris facta, summis encomiis cumulata est.

Nominatus lector historiae et geographiae in Iuvenatu nostro Torunensi, non obstantibus 19 horis lectionum per hebdomadam, studia sua historica continuat et typis mandat alios libros, denuo sumptibus Instituti Historici Universitatis Cracoviensis: « Obrona Zbaraza » (Defensio Zbaraz) anno 1932: « General Müller dowódca wojsk szweckich » (Generalis Müller dux exercitus Sveciae) a. 1936. Ultimum opus historicum « Wojna Szwecji z Polską 1654-1655 » (De bello Sveciae cum Polonia a. 1654-1655), in cuius elaboratione multum insudaverat, iam omni ex parte paratum, sed adhuc in cunabulis manuscripti — proh dolor — tempore belli, simul cum domo nostra Varsaviensi, incendio consumptum est.

Suae vocationis sacerdotalis et redemptorianae bene conscius, publicat de rebus asceticis, primum ex voto, ut expresse dixit, ad gratias agendas pro laurea adepta, « Nowenna do sw. Gerarda » (Novendiale in honorem Sti Gerardi); tum « Nauki majowe o MBNP » (Mensis Maius in honorem BMV de P.S.). Simul multi eius articuli in periodicis historicis et asceticis apparuerunt. Ultimis annis belli, post accuratum studium Monumentorum Hofbauerianorum, novam vitam S. Clementis exarare coepit, quod tamen, propter quotidianam sollicitudinem munus suum Provincialis meliore modo explendi, ad felicem finem non conduxit.

Praeter opus litterarium, ut ex chronicis constat, saltem bis in mense in ecclesia nostra concionabatur et una alterave vice per annum exercitia spiritualia vel missiones praedicabat. Numerus hic tempore provincialatus eius usque ad quatuordecim per annum crevit.

Unde tempus ad haec omnia perficienda habebat? P. Fraś certo certius et ingenio et facilitate componendi et bona methodo laboris scientifici dotatus erat. Sed hoc non sufficit. Omnibus nota fuit eius summa diligentia. Numquam ferias aestivas cognovisse dicitur. Dum alii debita tranquillitate post labores anni scholastici gaudent, iste archiva et bibliothecas Poloniae, Germaniae et Sveciae scrutabatur et consulebat. Ipso tempore belli a labore non quievit. Vilnae separatus a sua Provincia religiosa, conquisitus a gubernio occupante Poloniam, per aliquod tempus apud quemdam agricolam se abscondit et agrum cum eo colit. Postea mutato cognomine in alio loco docet in schola publica linguam germanicam et religionem et simul gymnasium clandestinum pro pueris polonis instituit. Mutato gubernio Vilnam rediit ibique Superior nominatus est. Bello finito transfertur Wartam in Silesia ut Rector et parochus, et ibi anno 1947 recipit suam nominationem Provincialis.

Quomodo ille, qui fere totam vitam inter libros egerat, optimus Superior Provinciae in conditionibus quam difficillimis evadere potuit?



Funus Pl. Rev. P. Prov. Fras.
Omnes superpelliceo induti sunt confratres

Patrem Fras magnum sensum practicum, claram intuitionem realitatis vitae, hominum et situationum habuisse omnes attestantur; quas dotes, procul dubio, studium illius, quae recte iam ab antiquis « magistra vitae » appellata est, scl. historiae, in eo evoluit. Fuit homo decisionis promptae et, ut vulgo dicitur, « homo iniciativae ».

Serenus sine aegritudine, positivus et bonus paedagogus sine praeiudiciis et praeconceptionibus, corda subditorum suorum sine gravi labore sibi captabat. Immemor sui et memor aliorum, ubi Dei Providentia eum ponebat, ibi se totum sine ulla restrictione donabat.

In missionibus sibi et habitationem peiorem et lectum duriorem et confessionale incommo-
dius eligebat. Morbo le-

tali prostratus et acerbissimis doloribus tormentatus, non lamentabatur, sed de confratribus in nosocomiis degentibus et expectantibus operationem chirurgicam saepe quaerebat. Observantiae regularis etiam in minimis tutor fuit assiduus. Sufficit perlegere eius litteras circulares, quas saltem quater per annum ad omnes suos mittere solebat; sufficit numerare eius frequentes visitationes paternas omnium domorum et speciali modo domorum formationis iuventutis nostrae, quas ad minus octies per annum faciebat; sufficit mentionem facere de congressibus

missionum, unoquoque anno habitis, de conventibus paedagogicis, ubi educatores iuventutis nostrae simul cum eo de meliore methodo formationis iuvenum deliberabant, ad habendam imaginem generalem eius zeli, quo incitatus bonum commissae sibi Provinciae capessebat.

Secundum iudicium Patris Szrant, P. Fras cultum veritatis, quem tamquam historiae studiosus eximie fovebat, in campum suae activitatis ut Provincialis transtulit, et hic quidem profundus atque sincerus amor veritatis praecipua fuit in hoc insigni Superiore Provinciali rationis agendi nota. Verba eius semper cum intima convictione concordabant. Alienus erat a fallaci vacuaque phraseologia. Stilus eius concisus et clarus eius internam indolem denotabat. « Le stile c'est l'homme ». Eadem rectitudo in modo agendi, tum erga subditos quam erga extraneos. Neque opus erat ipsi abscondere suos sensus, quia ob innatum sibi optimismum erga omnes benevolens erat, et hoc eo magis, quia bonam eius naturae indolem grati perfecerat.

Sed cultus veritatis postulabat quoque, ut bonitatem suam non solum verbis et affectibus, sed praesertim operibus manifestaret. Et haec quidem caritas operosa in eius ratione gubernandi non deerat. Cultus veritatis effecit, ut recte cognosceret, quid faciendum esset, quia ex amore veritatis rectum iudicium practicum facilius obtineri potest. Non potest non laudari eius prudentia, sed adhuc magis extollenda est eius fortitudo animi tranquilla, qua cum consilia concepta prosequeretur, ita ut etiam in ordine executionis veritas resplenderet. Inde apparet virtutes eius imprimis soliditate eminuisse. Non acsi P. Fras fuerit purus voluntarista, vel frigida mente omnia deciderit. Minime gentium! P. Fras fuit vir magnanimus et calidi cordis, et quicumque ipsum adibat, hunc affectum patris amantis et corde compatientis experiebatur. Quoniam igitur vitam suam et opera super cultum veritatis construere nitebatur, ideo super firmam petram aedificavit. Veritas enim non confundit, sed manet in aeternum.

Praeviciens suum finem proximum, P. Fras instantius rogabat suos, ut se de nosocomio publico ad domum nostram transportarent. Positus in lectulo cellae suae, adhuc bene compos sui, ultimo signo crucis se signare conabatur, at illud non perfecit ob summam debilitatem. Post aliquot horas inter preces et lacrimas suorum expiravit.

Pie Iesu Domine, dona' ei:
 post laborem, requiem;
 post aestum, temperiem;
 post fletum, solatium.